

DIE XXVIII MARTII

IN FESTO

# S. JOANNIS A CAPISTRANO CONF.

SEMDUPLEX.

*Omnia de Comm. Conf. non  
Pont. præter sequ. (m. t. v.)*

## ORATIO.

Deus, qui per beatum Joannem fideles tuos in virtute sanctissimi nominis Jesu de crucis inimicis triumphare fecisti : præsta, quæsumus ; ut spiritualium hostium ejus intercesione superatis insidiis, coronam justitiae a te accipere mereamur. Per eundem Dominum.

## In I. Nocturno.

Lect. Beatus vir. ut in eod.  
Comm. 2. loco.

Extra Quadrag. de Script.  
ocurrente.

## In II. Nocturno.

### LECTIO IV.

Joannes Capistrani in Pelignis ortus, et Perusini studiorum causa missus, in Christianis et liberalibus disciplinis adeo profecit, ut ob egregiam juris scientiam aliquot civitatibus a Neapolis Rege Ladislao præfектus fuerit. Dum autem earum rem publicam sanctissime gerens perturbatis rebus tranquillitatem revocare studet, capitur ipse et in vincula conjicitur, quibus mirabiliter eruptus,

Francisci Assisiensis regulam inter Fratres-Minores profitetur. Ad divinarum litterarum studium progressus, præceptorem nactus est sanctum Bernardinum Senensem, cuius et virtutis exempla, in cultu potissimum sanctissimi nominis Jesu ac Deiparæ propagando, egregie est imitatus. Aquilanum Episcopatum recusavit, et severiore disciplina atque scriptis, quæ plurima edidit, ad mores reformatos, maxime enituit.

r. Honestum.

### LECTIO V.

Prædicationi verbi Dei sedulo incumbens, Italiam sere universam lustravit, quo in munere et virtute sermonis, et miraculorum frequentia innumeratas prope animas in viam salutis reduxit. Eum Martinus quintus ad extinguentam Fraticellorum sectam Inquisitorem instituit. A Nicolao quinto contra Judæos et Saracenos generalis Inquisitor in Italia constitutus, plurimos ad Christi fidem convertit. In Oriente multa optime constituit, et in Concilio Florentino, ubi veluti sol quidam fulsit, Armenos Ecclesiæ Catholicae